JOANNIS CONRADI RUCKERI

ORATIO
DE
HONORIBUS ACADEMICIS, MAGNO DOCTRINAE PRAEMIO.

HABITA CUM
VIRUM ERUDITISSIMUM
DANIELEM D. F. D. N. D. P. D. ABN. VAN ALPHEN,
LUGDUNO BATAVUM,
JURIS UTRIUSQUE DOCTOREM,
More Majorum renuntiaret.

A. D. XIII. Dec. MDCCXXXV.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM LUCHTMANS, 1735.
Academiae Typographum.

MAGNIFICE RECTOR.

ILLUSTRISSIMI ACADEMIAE CURATORES.

NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI VIRI

PRAETOR, CONSULES, SCABINI,

QUIQUE IIS ESTIS A CONSILIIS ET SECRETIS

VIRI CONSULTISSIMI.

CLARISSIMI PROFESSORES,

COLLEGAE CONJUNCTISSIMI.

TRIBUNALI ACADEMICO AB ACTIS

VIR SPECTATISSIME.

SACRARUM LITERARUM INTERPRETES CASTISSIMI.

LECTOR SAGACISSIME.

OMNIUM ARTIUM ET SCIENTIARUM DOCTORES CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, ACUTISSIMI.

CIVES, HOSPITES, CUJUSCUNQUE ORDINIS HONORATISSIMI.

TU DENIQUE NOBILISSIMA ACADEMICAE JUVENTUTIS CONCIO, PATRIAE ET PARENTUM SPES, ACADEMIAE DECUS, COMMILITONES SUAVISSIMI.



JOANNIS CONRADI RUCKERI

O R A T I O.

INter ea, quae ad vitae civilis, Reique publicae felicitatem procurandam & ſtabiliendam pertinent, principem locum jure ſibi doctrinarum ſtudia vindicare poſſunt. Non eſt enim alia res, qua certius ad veram virtutem informentur cives, quam ſi eorum mores humanioribus diſciplinis mature emolliantur: nec alii publicae privatorumque utilitati rectius proſpiciunt, quam qui literis variiſque ſcientiis, prudenter adminiſtrandae reipublicae neceſſariis, ſunt innutriti. Tolle haec: a nullius rei peritia, a nulla arte & doctrina

instructus civis, ut in quatuordecim sedeat, vel in ipsa Orchestra, sedebit lapis super lapidem: In curiam vocetur sententiae de summa republica dicendae caussa: Senator erit: sed perpetuo pedarius, cum suam dicere nesciat, quamcunque audiverit probaturus sententiam: Addicatur litigantibus judex: mirum est, si non perorata, quam non intellexit caussa, graviter ex tabella pronuntiabit; secundum eum se sentire, qui verum dixisset: Cuicunque tandem reipublicae parti administrandae admoveatur, rerum omnium rudis, nec quid decorum & utilitas publica postulet perspicere, nec qua ratione eidem recte consulatur statuere poterit. Ut mirum non sit, tam insignia publice proponi doctrinae praemia, quibus ignavi excitentur, utiliores vero reipublicae cives ab imperita plebe discernantur.

Inter ea vero non ultimo loco numerandi sunt honores, qui in Academiis sum-

mae

mae poteſtatis juſſu illis impertiuntur, qui poſt legitima in togata militia ſtipendia confecta honeſtam miſſionem impetrant. Non ignoro, non omnes aeque magnifice de illis honoribus ſentire, & reperiri, quibus ſcientiae alicujus Doctorem publica auctoritate renuntiari, non adeo videtur honorificum. Sed hi profecto non intelligunt, quid ſit Doctoris titulo ornari, nec ſciunt, quantum dignitatis ſub illo nomine conferatur.

Abſit invidia, A. O. O. H. ſi in hoc argumento Vos paulisper detineam, & *de Honoribus Academicis magno doctrinae praemio*, paucis verba ad Vos faciam. Quia tamen finem dicendi inventurus non eſſem, ſi per ſingula ſcientiarum & honorum genera ſpatiari vellem, ut brevis ſim, in iis ſolis, quae ad Juris utriusque Doctores ſpectant, occupatus ero, ſuccincte oſtenſurus, quam praeclarum, nobile & ſplendidum ſit, in Jureconſultorum ordinem cooptari.

Vos,

Vos, A. O. O. H. enixe rogo quaesoque, ut mihi mentes & aures attentas praebere, meamque in dicendo tenuitatem favore Vestro benigne sublevare velitis.

Eximius honor est quem natalium splendor conciliat; & merito illustres avos reveremur in illis, quos domestica virtutis exempla, menti altius impressa, ad quaevis pulchra & sublimia impellunt & rapiunt. Insignis quoque gloria est, quam sibi pariunt, qui reipublicae defendendae caussa fortia hostibus objiciunt pectora, & belli gerendi peritia cluunt. At non minorem esse eorum dignitatem atque praestantiam, qui variis artibus ac scientis, & praecipue civili prudentia animum recte imbuerunt, facile agnoscent quicunque sciunt, qnanto non solum tempore, labore & industria opus sit ad eam comparandam; sed etiam quantum honoris propter insignem & necessarium plane ejusdem in constituenda

&

& adminiſtranda republica uſum, Jurisperitis ab omni tempore habuerint Principum ſapientiſſimi. Auguſtus ſane, & qui ejus exemplum in prudenter adminiſtranda republica ſequuti ſunt alii Principes, non dubitarunt Jureconſultos ad ſupremos plane honorum gradus evehere: nec ſolum Scipiones & Caeſares, ſed Capitones quoque, Caſſios, Celſos, Neratios, Julianos, Conſules antiqua Roma vidit: vidiſſet etiam Mucios & Labeones, niſi hi crediſſent, eximia juris doctrina conſpicuo Viro honoris amplius addi poſſe nihil, & propterea Conſulares faſces recuſaſſent. Alii deinceps, ut Aemilius Papinianus, Julius Paulus, Domitius Ulpianus ſola juris peritia illuſtrem Praefecturae Praetorii dignitatem meruerunt.

Tandem cum recentioribus temporibus Academiae paſſim per Europam eſſent inſtitutae, ut in illis tanquam bonae mentis officinis ad virtutem formarentur, & qui-

bus artibus respublica recte gubernari, augeri & amplificari possit, edocerentur juvenes, visum est nova & digna doctrinae poni praemia. Placuit igitur summis imperantibus, variis honorum titulis & praerogativis exornari, qui strenuam literis navassent operam: &, ut de aliis scientiis brevitatis caussa nunc taceam, obtinuit inde a quingentis & quod excurrit annis, qui praeclaram in juris doctrina sibi adquisivissent scientiam, & praeter morum honestatem, eruditionem quoque non vulgarem Professoribus in examinibus probassent, plebi exemtos & honestissimis civium deinceps adnumerandos, publica summae potestatis auctoritate & sollemni ritu renunciari in Academiis Juris Utriusque Doctores, nomine, non ut vulgus imperitum judicat, vano & inani, sed, si quod aliud, omnis decoris, dignitatis & honoris pleno.

Augustissimum sane quod in terris habetur, & quo ipsa Majestas se potissimum exserit,

ſerit, in legibus ferendis conſiſtit, & in jure praeſcribendo, ad cujus normam cives vitam ſuam omnem componere debeant. Palam vero eſt, non poſſe leges ſic ſcribi, ut negotia omnia, quae quandoque inciderint, iis comprehendantur: ſaepe Legiſlator brevi rerum & verborum compreſſione multa complectitur, ut quae in una ſpecie juſſit, ad ſimiles produci velit: nonnunquam peculiaris ratio eum movet, ut quid ſanciat, quod ad alia quantumvis ſimilia pertinere nolit: in ipſis etiam legum verbis aliquando haerere poſſis, ut dubites, quo ſenſu ea ſint accipienda. Quod ſi vero legiſlator aliquem ſuae voluntatis conſtitueret interpretem, qui civibus mentem ſuam diſtinctius aperiat, illisque indicet, quae ſit vera ſingulorum ſententia, quae extendi, quae reſtringi debeant: numquid mediocri loco eſſe, & levem in republica honorem ſuſtinere diceres illum, quem parum abeſt, ut vivam ipſius legiſlatoris vocem appellare

possis? atqui hujus modi sunt qui Juris Utriusque Doctores creantur. His enim, postquam certa solidioris doctrinae & civilis sapientiae documenta dederunt, cathedram superiorem conscendendi & jura interpretandi potestas, publica auctoritate conceditur: Hi, ne quis verba captando jus civile calumniari, aut imaginariam quandam aequitatem praetexendo illud subruere & evertere conetur, sese interponere, & veram legum vim ac potestatem, hoc est, ipsam imperantis voluntatem civibus aperire, sacramque legum majestatem tueri jubentur.

Sed accedit & alia non levis dignitas, quae ipsa quoque splendido isto Juris utriusque Doctoris titulo continetur, publicum nempe singularis prudentiae testimonium. Etenim si pulchrum & honorificum habetur, ea rerum agendarum peritia instructum esse, ut alios sapienti consilio regere & juvare possis: si naturaliter suspicimus,

quos

quos ceteris prudentia ita praeſtare videmus, ut ex eorum ſententia negotia noſtra ordinata cupiamus; an non inſignis plane putari debet Juris Doctorum honor, quorum ſapientiam univerſi laudant & agnoſcunt cives, dum in quibuscunque majoris momenti rebus, ſibi ipſis diffidentes, cum honeſta illa praefatione, *Licetne conſulere?* ad eos reverenter accedunt, opem & conſilium eorum expetituri. Hic de ſuprema ſua voluntate ordinanda cogitat: ſed ſollicitum eum habet diligens iſta, quam leges exigunt, ſollemnium obſervatio: & metuit, ne irritum fiat quod iterum rediturum non eſt ſuum arbitrium, ſi ad exemplum illius Lucii Titii, rationem animi ſui potius, quam praecepta legum ſecutus, ſine ullo juriſperito teſtamentum ſuum ſcribat: ſi quid minus legitime minusve perite fecerit, parum ſaepe profuturam eſſe novit excuſationem illam, quod pro jure legitimo haberi debeat hominis ſani voluntas: ſcit neminem

in teſtamento ſuo cavere poſſe, ne leges in eo locum habeant: Ad Juris igitur Doctorem ſe confert, qui omnem teſtamenti ordinationem ut digitos ſuos novit, ſuaque prudentia teſtatorem cura & ſolicitudine vacuum & otioſum praeſtat. Ille, ne in negotio contrahendo vel ſimplicitate ſua, vel alterius vafritie capiatur & circumveniatur, ſtipulationis formulam ſibi dictari rogat, quo ineluctabili vinculo alterius fidem adſtringat, ſibique caveat. Alius patrimonii ſui tuendi cauſſa in jure manum conſerturus, ne vel vitilitigatoris notam incurrat, vel juris ignorantia rem amittat, cauſam ſuam ad Legum normam examinari, quibusque argumentis ea adſtrui, quibus defendi debeat, doceri cupit. Quaecunque tandem negotia ſingularem in vita civili deſiderant prudentiam, Juris Doctorum opera & conſilio explicantur: ad hos in rebus dubiis cives omnes confugiunt: hi cavendo, hi conſulendo omnibus proſpiciunt. O gloriam in-

incomparabilem! o praeclarum honorem! non emendicatis ſuffragiis, ſed libero, ultro accurrentium civium conſenſu & teſtimonio ſingularis virtutis doctrinae & prudentiae laude celebrari. Hac una re olim Gajus Scipio Naſica invidendum illud meruit encomium, ut a Senatu Romano Optimus adpellatus fuerit: hanc ob cauſſam dignus viſus eſt, cui in ſacra via publice daretur domus, ut eo facilius ab omnibus, tanquam totius oraculum civitatis conſuli poſſet. Imo Divus Auguſtus tantam hoc de jure reſpondendi munere dignitatem contineri putavit, ut ejus conferendi poteſtatem ad ſuam ipſius curam transtulerit, nec quemquam reſponſa dare voluerit, niſi cui ipſe honeſtiſſimam iſtam provinciam decreviſſet. At idem plane nunc quoque ſervatur, cum ſola ſummi imperantis auctoritate de jure reſpondendi poteſtas iis conceditur, qui Juris utriuſque Doctores in Academiis renuntiantur, & ab ipſo Princi-

ci-

cipe quaſi digito civibus demonſtrantur, ad quos in arduis ac dubiis negotiis confugiant.

Haec omnia tamen, quantumvis praeclara & eximia, nondum abſolvunt ſplendorem & dignitatem Juris Doctorum, utpote quibus ingens praeterea honoris cumulus accedit ex nobiliſſimo illo, ipſisque proprio munere, quo cauſſas in foro ſtrenue agendo, & afflictis ſuccurrendo funguntur. Fateor, merito quidem in ſummo honore haberi, qui fortia hoſtibus pectora opponentes, & ut irruentes in patriam inimicos repellant, nec honeſtiſſima vulnera excipere, nec ipſum vitae periculum adire recuſant: at non minor eorum laus eſt, qui ambigua cauſarum fata dirimunt, ſuaeque defenſionis viribus in rebus ſaepe publicis & privatis lapſa erigunt, fatigata reparant. Pulchre de republica merentur, qui gladiis, clypeis & thoracibus nixi pro ejus ſalute propugnant: at nihil uti-

utilitate in publicum illis cedunt, qui gloriosae vocis confisi munimine, laborantium spem, vitam & posteros defendunt. Agant magnificos belli Duces triumphos ob caesa aliquot hostium millia, ob deletas urbes, ob vastatas regiones, tandem, ob exstirpatam Heroica virtute humani generis partem: ego unius civis servati, quam mille hostium interemtorum gloriam mallem, nec triumphalem civica potiorem haberem corona. Hac vero toties ornantur Juris Doctores, quoties de bonis, de existimatione, de vita periclitantem civem protegunt, tuentur, servant.

Possem, A. O. O. H. multa, eaque non levia addere de praerogativis, immunitatibus & privilegiis, quae leges earumque vicaria consuetudo Juris utriusque Doctoribus, dignitatis augendae caussa, indulgent: sed quia Lex Academiae me intra certos fines orationem cohibere jubet, ea silentio praetermitto; praesertim cum vel soli ritus, quos

Majores noſtri in conferendo iſthoc honore adhiberi voluerunt; ſatis evincere poſſint, quam nobile, quam honorificum ipſis viſum fuerit Juris Utriusque Doctoris nomen. Sciebant ſapientiſſimi illi Viri, per ſe ſplendidum eſſe Doctoris titulum: ſed ut magis ſplendeat, rite & decore imponi volebant. Habent enim majeſtatem aliquam, & reverentiam in hominum mentibus excitant, quæcunque cum decoro, & ipſam dignitatis amplitudinem exprimente adparatu quodam rite & decenter explicantur. Ut omnino magno opere laudandus ſit Erudiτiſſimus hic Candidatus, qui de pulcherrimis, ſed neſcio quo fato fere obliteratis Majorum moribus hac parte inſtaurandis cogitavit. Abſit enim ut quisquam, quod revera ad omnium honorem pertinet, ad invidiam trahat, Eumque quaſi praerogativam aliquam inter ceteros Juris Doctores affectantem criminetur: abeſt a candido hoc & humanitatis ſtudiis ad veram virtu-

tem

tem tam curate formato pectore ſtolidus ille faſtus. Potius, ut civibus omnibus conſtaret, quantum dignitatis in ſingulos Juris Doctores conferatur, iiſdem honoribus, quibus ceteri gaudent, ſe in publico omnium conſpectu ornari, Ampliſſimi avi & patrui ſui magni exemplo incitatus modeſtiſſime rogavit. Quis vero non probet, quis non laudet tam liberale conſilium? Probavit certe, & laudavit vehementer Ampliſſimus Academiae Senatus, Eumque merito ſimul digniſſimum eſſe cenſuit, qui non intra privatos hujus Academiae parietes, ſed in frequentiſſima eruditorum corona ſollemnibus honoris in jure ſupremi ritibus & cerimoniis inauguretur. Laudabunt ſine dubio Senatus noſtri decretum omnes, quibus eximia Ejus merita recte ſunt perſpecta. Nihil jam dicam de ſplendore familiae unde ortus, & nominis amplitudine: etſi enim pulchrum utique eſt, ex ea gente prognatum eſſe, quae prudentiſſi-

mos huic Urbi Consules; quae Reipublicae magnanimos dedit, & difficilibus temporibus constantes publicae libertatis adsertores: non tamen de generis, sed de virtutis & doctrinae gloria hic agitur. Hanc vero Praestantissimus Candidatus noster, ut parto Majorum virtute genti suae decore dignum se redderet, a prima statim aetate viribus omnibus sectandam sibi proposuit: & cum pulcherrimae juris arti se dare constituisset, ad eam sibi comparandam non solum indefesso labore & ferrea plane industria in literarum studia incubuit, sed, quod in omni scientia addiscenda primarium est, tam prudentem quoque in instituendis studiis iniit rationem, ut mirum non sit, eum tandem laudatissimae morum integritati solidam eruditionem & egregiam civilem sapientiam adjunxisse. Etenim ut ad ipsa Veterum tam Graecorum quam Romanorum monumenta aditum sibi pararet, & suis potius

quam

quam fallacis ſaepe interpretis oculis omnia perluſtraret, primam, eamque multam operam poſuit in utriusque doctae linguae cognitione; cujus ope deinceps in jucundiſſima Hiſtoriarum & Antiquitatum diſciplina tantum profecit, ut eorum, quae de publicis privatisque rebus memorabilia tradiderunt Veteres, inſignem plane ſcientiam ſibi adquiſiverit. Hac regia via tandem ad ipſos perrexit juris Auctores, quibuscum dies noctesque habitando, omnem juris ſtudii difficultatem feliciter ſuperavit, & ad intima quaeque artis noſtrae ſe penetravit.

Sed quid verbis opus eſt? cum ipſe jam ſaepius publice ediderit egregia diligentiae pariter & doctrinae ſuae ſpecimina. Vidiſtis enim ternas, quas intra anni ſpatium compoſuit, & in omnium conſpectu adverſus doctas oppugnantium machinationes maſcule ſummaque cum laude defendit, eruditas ejus Diſſertationes: vidiſtis, & tan-

quam totidem certiſſima variae nec vulgaris doctrinae ſuae monumenta merito laudaſtis. Quin nunc quoque *de Legibus in republica bene conſtituta non temere mutandis*, graviter, ornate & docte dicentem Eum audiviſtis.

Cum vero tot & tanta Egregium Candidatum noſtrum commendent ſua merita, non potuit non Ampliſſimus Academiae Senatus, quin eoſdem, quos plures, & memorabili exemplo, eodem aliquando die bini ex Alphena gente fratres hoc ipſo in loco publice conſequuti ſunt, ſummos in utroque jure honores Majorum more & ſolemni ritu in Eum conferendos decerneret. Nil reſtat, quam ut ipſe mandato mihi munere fungar, & Tibi Eruditiſſime Candidate, debita modeſtiae, virtuti, doctrinae Tuae praemia perſolvam.

Quod igitur felix & fauſtum ſit, ego, ex Auctoritate Magnifici Rectoris, & Ampliſſimi Senatus Academici, Te, Danie-

lem

lem van Alphen, Lugduno Batavum, Juris utriusque Doctorem creo, dico, renuncio: Do Tibi poteſtatem cathedram, ad quam ſolis Doctoris titulo ornatis aditus patet, conſcendendi, jura interpretandi, in foro & omnibus ubique tribunalibus cauſſas agendi, de jure reſpondendi: Tribuo Tibi inſuper omnes praerogativas, immunitates, jura ac privilegia, quae rite & legitime creatis Juris utriusque Doctoribus hic vel alibi, lege aut more tribui ſolent. Et ne quid honori Tuo deſit, adjiciam porro ritus, quibus Majores noſtri hunc actum ſollemniter explicari, ſapientiſſimo hocce conſilio voluerunt, partim ut collatae dignitatis ſplendor eo acrius omnium oculos & mentes feriret; partim ut ſignificarent, non ad ignobilem deinceps deſidiam velandam, ſed ad virtutem ulterius excitandam honores hoſce pertinere.

Argumento ſit haec ipſa, qua indutus es Toga: Vide, ut ea omnium oculos in ſe

ſe convertit : ut ſinguli tacite Tuam laudant fortunam, qui virtute merueris, ea in publicum produci veſte, qua non niſi honeſtiſſimis inter cives uti conceditur. Quae vero tam honorifica Tibi eſt, eadem toga Te ſimul admonet ſacramenti, quo Te togatae militiae obſtrinxiſti, ut, quam adhuc inter innocentiam & doctas vigilias tranſegiſti, deinceps quoque ſic componas vitam Tuam, ut togati militis munere per omnia recte & ſtrenue fungaris, perpetuoque memor ſis, ſignum, quod in hac militia ſemper unum, ſemper idem datur, hoc eſſe; *Laboremus.*

Ne vero inermem Te hoſti objiciam, en, quo ſacratiſſimae leges noſtrae continentur, Librum, quem apertum Tibi exhibeo, ut ex eo tanquam inſtructiſſimo armamentario omnem militarem Tuum adparatum deſumas: hinc tuendae innocentiae clypeos: hinc tela petas, quibus Juſtitiae hoſtes conficias: non enim inſidioſis ima-

imaginariae aequitatis argumentis, ſed aperto Marte, & certa ipſarum legum auctoritate pugnandum eſt. His igitur perpetuo inhaerendum: in hiſce perſcrutandis & perpendendis indefeſſo labore dies noctesque deſudandum.

Sed ecce, quem modo Tibi aperui, eundem Librum nunc ante oculos Tuos pono clauſum, ut memineris, quae Tibi agenda incumbunt, Lectione ſola minime abſolvi: ſed multa inſuper & ſeria meditatione opus eſſe, tum ut mentem & ſententiam Legiſlatoris alte ſaepe latentem ſubtiliter indagare, & a ſimilibus ad ſimilia procedendo ex ratione juris definire poſſis, quae diſertis legum verbis definita non reperiuntur: tum ut omnia in uſum deducere, & obvenientibus in vita civili negotiis apte & prudenter accommodare ſcias.

Licet autem laborioſa ſit & ardua, cui Te accingis militia, gratam tamen & jucundam eam reddunt ampliſſima virtutis prae-

mia, quae fortes Viros in ea manent. En, quantus in ipſis ſtatim auſpiciis Tibi habeatur honor, dum aureus digito Tuo inſeritur annulus. Erat is olim apud Romanos Equeſtris ordinis ornamentum, & nobiliores a plebe diſcernebat: Te ſingulari doctrina & egregia juris ſcientia nobilem eſſe indicat. Poſtquam deinde cum plebe communicatus fuit, ingenuis proprius manſit: Te liberalem animum artibus ingenuis excoluiſſe ſignificat. Praecipuus vero annuli apud Veteres uſus erat in ſponſalibus contrahendis & connubiis: Tibi hoc annulo hodie ſe deſpondet nobiliſſima & pulcherrima Virginum Aſtraea, ut individuam, & ad inſtar in ſe redeuntis annuli ſine carituram vitae conſuetudinem Tecum habeat.

Sed quouſque patiar tam ornatum Virum aperto mihi adſtare capite? quin impono Tibi honoris cauſa pileum, antiquum libertatis ſignum. Quid ridetis Auditores? levemne & inanem putatis pilei honorem,

quod

quod innumera & plebeja paſſim capita eodem ornata cernitis? multi, fateor, ſed nullo jure eum uſurpant: pauci merentur: quotquot enim coeco perturbatae mentis impetu trahuntur, & effraenae licentiae honeſtum libertatis nomen praetexunt, utcunque pileati, liberi non ſunt. Te jure optimo liberum, Te pileo dignum pronuntio, qui didiciſti, in nullius niſi rationis & legum verba jurare, his ſervire, illi obtemperare, ſolam eſſe veram & ingenuo homine dignam libertatem.

Probant hanc meam de Te ſententiam Ampliſſimi hujus Urbis Conſules, qui Te aureo hoc donant Numiſmate, ut virtuti & eruditioni Tuae datos honores augeant.

Tandem porrigo Tibi dextram in amicitiae & benevolentiae ſignum, qua Te, qua literarum & Juriſprudentiae veros amatores omnes complector.

Et cum jam omnia ex meritis votisque Tuis rite ſint peracta, ego primus Te Juris

utriusque Doctorem ſaluto. Faxit Deus, ut qui hodie tam pulchros Tibi pepererunt fructus, deinceps quoque feliciter ſuccedant Tui conatus: creſcat Tua, creſcat Reipublicae, creſcat Academiae Jurisque prudentiae gloria & dignitas, inque dies magis magisque amplificetur.

